



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio VI. Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

## PROPOSITIO VI.

**P**robabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

Primum Autorem propositionis citat Henriquez jesuitam, & quidem ut qui *claris verbis eam tradiderit*, sed apud Escobarium, Clarius etiam Propositionem ait esse traditam à Filliucio, sed incerto loco.

Ad convincendam priorem imposturam non producam pro se loquentem Henriquez, ac ne Escobarium quidem adibo, à quo citatus dicitur, sed testem accusatori irrefragabilem sisto Ludovicum Montaltium Epist. 10. his verbis: *Henriquez, ut refert idem (Escobarius) Tr. 5. exam. 4. n. 8. Præter mortis articulum, & morale principium usus rationis, tertium tempus assignat vitæ intermedium, saltem singulis quinquenniis. Patet verò quod hæc tria: in mortis articulo, in principio morali usus rationis, & singulis saltem quinquenniis, non sint idem, quod, ne quidem singulis quinquenniis: & tamen claris verbis propositionem esse traditam ab Henriquez garrit ille.*

De Filliucio neque accusatori, neque huius oraculo Montaltio Epist. 10. fidem habeo; sed ipsum, qui accusatur audire volo Tr. 22. c. 9. ubi sic docet à n. 286. *Quæro quomodo*

tempore obliget per se præceptum charitatis: pro  
 responſione notandum, eſſe de hac re tres ſenten-  
 tias, duas extremas, & tertiam mediam. Prima  
 extrema affert multos caſus, & tempora obligatio-  
 nis . . . . . ſecunda ſententia extrema tunc tan-  
 tum obligare, quando obligat contritio in ordine  
 ad juſtificationem, &c. tertia media aſſignat tria  
 præcipuè tempora, in quibus charitas obligat per  
 ſe. Primum eſt initium morale perfecti diſcurſus . . .  
 ſecundum articulus mortis . . . . . tertium eſt tempus  
 intermedium vitæ ſaltem quinto quoque anno . . . . .  
 dico 2. tertiam ſententiam videri probabiliorem.  
 Hæc in quæſtione illa Filliucius neque uſpiam  
 affirmat probabile eſſe, ne ſingulis quidem rigoroſè  
 quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis  
 erga Deum: poſtulo monſtrari locum, & ver-  
 ba, quibus hoc affirmet. Non dubitat, quin  
 pro primo instanti uſus rationis obliget hoc  
 præceptum, neque item quin in mortis arti-  
 culo: de tempore intermedio ſic mox loqui-  
 tur: intermedium tempus vitæ, cum ſæpe lon-  
 gum ſit, & hoc præceptum ſit primum, & maxi-  
 mum, aliquoties obligare debet: cum autem de-  
 terminatum non ſit, relinquitur arbitrio ſapientium,  
 quo loquendi modo fatetur ſe ignorare quo-  
 ties obliget illo tempore intermedio, ut paſ-  
 ſim reliqui Theologi.

Hic obiter notandum eſt, quam accuratus  
 in citando ſit Accuſator. Legerat in gallicis  
 A 4 epistolis

epistolis Montaltii, Filliucium docuisse: quod  
est probabile; quod non nō est obligé a la rigueur  
tous les cinq ans, Hæc igitur ipsa verba gal-  
lica Filliucium flandricè accusans produxit,  
tamquam verba Filliucii hominis itali & la-  
tinè scribentis.

## PROPOSITIO VII.

**T**unc solum obligat quando tenemur justificari,  
& non habemus aliam viam, qua justificari  
possumus.

Autorem Propositionis citat Azorium Jesuitam  
citatum à Tamburino, ut legerat apud  
Wendrockium in famosis notis.

Neque accusatori, neque Wendrockio fi-  
dendum, ac ne Tamburino quidem, si accusa-  
re voluerimus: liber Azorii adeundus, ubi  
comperio non aliud ipsum docuisse, quam  
præceptum charitatis non obligare pro aliquo  
tempore determinato, sive quod nos possumus  
determinare, nisi quando debet justificari pec-  
cator extra opportunitatem Sacramenti. Poste-  
rior pars hujus doctrinæ non est invidiosa, ut  
patet: prior pars continet communissimam  
Theologorum sententiam, neque damnatam  
aspiciam.

Porro hanc esse doctrinam Azorii l. 9. c. 4.  
q. 1. qui locus extat citatus apud Wendroc-  
kium, ex eo conficio, quod ibi profiteatur, se